

splendens, etiam cæteras super Ecclesiæ candelabrum positas lucere concessit. Vocatus ab auctore ad laboris fructum et perenne refrigerium feliciter pervenisti, in illa beatissima patriarcharum societate receptus, animæ tuæ singularia modo conspicias ornamenta : quæ ita creverunt divinæ gratiæ adjumento, ut pretiosis virtutum manibus perenniter conspicua decorentur.

32. Qui continentia puritate omnium Scripturarum thymiamate templum tui cordis et corporis flagrare fecisti, et ut in eo auctor requiesceret, perennis industria vigilantia præparasti. Qui secreti amore animi quoque affectumque pavisti. Qui cum psalmodiarum modulatione flumina lacrymarum junxisti. Qui in decachordo præceptorum moribus pariter et vocibus præsulasti; vias duras custodiendo vita et institutione prædicasti. Qui spiritalis organi cœlestis harmoniæ suavisono cantu<sup>a</sup> variam modulaminis dulcedinem concrepasti. Qui sacrificio jejunii exteriori hominem continens, vigiliarum solita assiduitate interiorem cursu strenuo oblectare non destitisti. Illud autem prætereundum esse non credidi, qui

<sup>a</sup> Lir., *varia modulationis dulcedine*; et dein ms. Arel., *sacrificiis*, pro *sacrificio*.

<sup>b</sup> Quesn. inseruit particulam *aut*, quam utpote redundantem expungendam putavimus. Boll. omittunt etiam voces, *ante reparationis diem*, quæ cum in mss. legantur, retinendæ fuerunt.

A<sup>b</sup> ante resurrectionis diem, dum Campilapidei spatia peragrasti, pastores singulos unda baptismi regenerando<sup>c</sup> baptizasti, et baptizatos recte vivere docuisti. Fac ergo, quæsumus, ut qui te ad Christum feliciter venisse, et sine fine te reguare cum illo gloriamur, tuis continuis precibus muniamur, interventu protegatur, et qua frueris cum Christo gloria perfruamur<sup>d</sup>.

33. Cum ergo tanti talisque viri testimonium merita ejus perhibuerint, digneque facta laudaverint, quia possibilitatis immemor, impulsu amoris, incautus ad tantum præconium prosilivi, veniam sperare præsumpsi : ut in illo meritorum suorum præclaro fastigio constitutus, etiam pro me interpellare non cesset, illisque venerabilibus patriarcharum cœtibus aggregatus, ad præsidium nostrum turbam piæ<sup>e</sup> socialitatis asciscat; obtinens ut non actu meo, non ignavia contristetur : quocirca me ejus suffragium munit, sed suis patrociniis meritum sacerdotis in illa examinatione tremenda faciat inveniri : regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

<sup>c</sup> Vat. Reg. omittit, *baptizasti*.

<sup>d</sup> Illic desinit cod. Vat. Reg. nec non is quo usus est P. Possinus, ut Bollandi continuator tradit. Ex hoc indicium idem videtur hic codex, ac Vat. Regina.

<sup>e</sup> Quesn., *soliditatis*. Ex Boll. et Salinas emendavimus, ut in mss. legitur.

## EPITAPHIUM S. HILARII

*In tabula marmorea parieti infixæ in ecclesia sancti Honorati.*

Antistes Domini, qui paupertatis amorem  
Præponens auro, rapuit cœlestia regna,  
HILARIUS; cui palma obitus, et vivere Christus;  
Contemnens fragilem terreni corporis usum,  
Hic carnis spoliū liquit ad astra volans.

<sup>a</sup> Spernit opes dum quærit opes, mortalia mutans,  
Perpetuum cœlum donis terrestribus emit:  
Gemma sacerdotum, plebisque orbisque magister.

Rustica quin etiam pro Christo munia sumens,  
Servile obsequium non dedignatus adire,  
<sup>b</sup> Officio vixit minimus, sed culmine summus.  
Nec mirum si post meruit tua limina, Christe,  
Angelicasque domos intravit et aurea regna,  
Divitias, paradise, tuas, fragrantia semper  
Gramina, et halantes divinis floribus hortos,  
Subjectasque videt nubes et sidera cœli.

*Inscriptio tumulo ipsi S. Hilarii insculpta.*

SACROSANCTÆ LEGIS ANTISTES  
HILARIUS HIC QUIESCIT.

<sup>a</sup> Arel. cod., *sprevit*; et mox Lir., *vitans*, pro *mutans*.

<sup>b</sup> Bolland., *obsequio*.

## ADMONITIO IN S. HILARII ARELATENSIS OPUSCULA.

1. Primum locum tribuimus sermoni S. Hilarii de Vita S. Honorati episcopi Arelatensis, quem editionem notationibusque locupletatum edidit P. Rosweidus an. 1620, iterumque Jo. Bollandus tom. II.